

Si haberetis fidem.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

17, 5-10

In illo témpore:

⁵ **D**ixerunt apóstoli Dómino:

«Adáuge nobis fidem!».

⁶ Dixit autem Dóminus:

«Si haberétis fidem sicut granum sinápis,
dicerétis huic árbori moro:

“Eradicáre et transplantáre in mare”,
et obœdíret vobis.

⁷ Quis autem vestrum
habens servum arántem aut pascéntem,
qui regréssó de agro dicet illi:

“Statim transi, recúmbe”,

⁸ et non dicet ei:

“Para quod cenem,
et præcínge te et mínistra mihi,
donec mandúcem et bibam,
et post hæc tu manducábis et bibes”?

⁹ Numquid grátiam habet servo illi,
quia fecit, quæ præcépta sunt?

¹⁰ Sic et vos,
cum fecéritis ómnia, quæ præcépta sunt vobis,
dícite:

“Servi inútiles sumus;
quod debúimus fácere, fécimus”».

Verbum Dómini.